

ΓΛΩΣΣΟΓΡΑΦΙΑ ΤΡΙΜΕΡΗΣ

LINGVÆ

STATVM NATVRALEM PRÆTERNATVRALEM

ET SIGNA EXINDE PETENDA EXPONENS

Quam

D. N. A. F.

ANNVENTE GRATIOSISSIMA FACVLTATE
MEDICA

IN INCLVTA NORICORVM PALÆCOME
MODERANTE

DN. JOHANNNE MAVRICIO
HOFFMANNO
Philosoph. & Med. D.

Publico Eruditorum examini subjcit
GREGORIVS HORSTIVS VLM. SVEV.
AVTOR & RESPONDENS.

AD D. XXV. JUNII A.O.R. clō lōc LXXVII.
H. L. Q. C.


ALTDORFFI

Typis Johannis Henrici Schönnerstædt.

athol. gen.
198, 32

Patrol. 410

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to be in German or Latin script.



Nobilissimo DN. HORSTIO, *Amico suo*
per dilectio

S. D.

PRÆSES,

QUOD Antonius apud Dionem Cassium
olim pronunciauerat: *Quibus semina vir-*
tutis à Majoribus per multum tempus ducta ad-
sunt, fieri non posse, quin & ingenitâ & perpetuâ
virtute sint præditi, id augurii animi mens de
TE mihi præfagiebat, cùm primùm TE loquen-
tem viderem. Sanè enim illam nactus es
nascendi felicitatem, quæ non possit non Tibi
ad optima quæque tendenti stimulum addere,
& eas sistere imagines, ad quas ingenium mores
& industriam omnem componere volupe sit:
Adeò HORSTIA DUM fama per patulum orbem
se diffudit, ut in Illustribus Principum aulis, ce-
lebribus Germaniæ Academiis, atque Urbibus
A 2 splen-

splendidis ære perenniora sibi paraverit monu-
menta. Non igitur

— — — — *externo monitore petendus*

Virtutis Tibi pulcher amor, cognata ministrat

Laus animos, aliis Decii reducesq; Camilli

Monstrentur — — — —

Te Pater Æneas & Patruus excitet Hector.

Jam verò fræno hæctenus magis quàm calcare
eguiisti, dum excitatissima indoles tua ad excelsa
paternæ gloriæ fastigia ultrò adspirat; industriæ
tuæ ardorem testatur præsens de LINGVA Differ-
tatio, quam intrà privatos parietes eruditè ela-
borásti, & in publicū nunc producis theatrum:
scil. vis aliorum ad exemplum in palæstrâ Acade-
micâ vires experiri, ne intra mutos semper deli-
tescens Doctores ocio negocioso sepultus esse
videaris. Maçte hoc animo mi HORSTI, à me Ho-
meri illã vocem accipe, βάλ' ἔτος, pertinaci gres-
su huic viæ porrò insiste, quam sedulus hucusq;
ivisti, cumq; scias πάντα πόνε πείριμα esse, indies pro-
grederere PLUS ULTRA. Vale Musarum deli-
cium, & rebus Te serva secundis, quò plures ali-
quando salute tuâ gaudere possint!

Scribebam Altdorff I

D. XVII. JUN.

A. C.

cl. lxxvii.

PRÆ-

(5.)

PRÆFAMEN.

Quum non illud, quod tritum, semper verum existat, nec verum illud tantum habeatur, quod prius dictum sit, sed tum demum recte philosophemur, quoties conceptus mentis rebus sive objectis conformes videmus, vel rationem cum sensu ferruminatam animadvertimus, idcirco nec iste à recto tramite longè aberraverit, qui in Veterum meditationibus, eorundemq; Dogmatum Oceano vastissimo vela explicaturus, & ingeni sui naviculam, licet inanem, Veritatis tamen cupidam, ventis quorundam placitorum relicturus, etiam ibidem Veritatem anxie quarat, ne ad periculosas opinionum incertarum Syrtes appellat, aut profundo præjudiciorum gurgite abripiatur. Profecto enim Veritas tum Diis, tum hominibus Dux omnium est bonorum, cujus, qui felix beatusque futurus est, statim ab initio particeps esse debet, ut in Veritate plurimum vitæ tempus agat. Eam ob causam, uti in aliis Scientiis hodie usu venire solet, indecens forte non erit, etiam in quibusdam Divinæ Apollinæ Artis placitis alio inniti fundamento, præsertim ubi quadam Antiquissimorum Medicorum & Philosophorum Theoremata, erroribus ansam præbuisse Practicis, & ipsos sæpe (seculi ne invidiâ dicam, an observationum defectu?) lapsos esse, exempla odiosa passim testantur; cum Medicinam, ob nondum tunc temporis exortum clarissimum Anatomia Lumen, innumeris Hypothesium monstrorum portentis refertam reliquerint, nec tam perfectè, ceu nostrâ nunc ætate licet, eam excolere potuerint. Quanta igitur felicitatis reputabimus, eâ nasci tempestate, quâ in natura investigatione properantes, nihil tale implicat; quâ ex præcedentium industriâ tantum nobis accedere potest eruditionis, ut facilius quàm illi ad naturæ arcana admittamur. Illis multum temporis commentationes vocum & illustrationes Auctorum, & cavillationes eripuerunt, captiosæ disputationes sæpe acumen irritum exercuerunt, ut Verbis Celeberrimi Erasmi Bartholini de naturæ mirabilibus utar: Quæ non sub occultarum qualitatum, sympathiarum, antipathiarum, non-entium, formarum substantialium &c. involucris, ita detenta fuere φαινόμενα, quò minus accuratius investigarentur, aut Veritas obtineretur: Ast dandum semper tempus esse, quia illam dies aperit, cum Seneca quis exclamare posset! Certè quoties hæc tacitâ revolveo mente, non possum mihi tem-

Plato V. de Leg.

Quæst. 1. de Figur. Corp. p. 2.

Lib. 2. de Ira c. 22.

perare, quin cum Magna hujus Seculi Philosopho RENATO des
 CARTES, in votivum culmine portem: quod superest vitæ tem-
 pus nullâ aliâ in re collocare, quàm in ejusmodi naturæ notitiâ
 mihi comparandâ, è quâ in Medicinæ usum, certiores regulæ,
 quàm hæctenus extiterint, depromi possint; Animus enim (ut
 Idem in Methodo loquitur) adeò à temperamento & organorum
 corporis dispositione pendet, ut si ratio aliqua posset inveniri,
 quæ homines sapientiores & ingeniosiores reddat, quàm hæcte-
 nus fuerunt, credam illam in Medicina quæri debere. Jam verò
 hic opus hic labor erit!

Laudanda tamen, & subinde imitanda illorum Virorum Volun-
 tas, qui in quotidie obviis rebus industriam suam ita collocant, ut ibi
 quicquam detegant, quod omnes in admirationem rapere possit. Ex-
 empli loco inserviat GUSTUS ORGANUM, quo licet quotidie non
 unâ, sed repetitis vicibus singuli utamur, id tamen per aliquot secula
 ignotum delituit, donec paucis abhinc annis à lynceis Clarissimo-
 rum Anatomicorum Itatorum Malpighii, Fracastati, & Bellini
 oculis detectum fuerit. Cum autem præter hoc gustus instrumentum,
 alia quoque in LINGVA considerationem mereantur, placuit mihi
 eadem in Dissertatione præsentis luci exhibere publicæ, & Linguae
 Statum tum naturalem, tum præter naturalem,
 ut & signa inde petenda breviter declarare. Quâ ipsâ in
 re si ob diversas sapientissimorum Auctorum sententias, cunctis
 haud placuero, parcam mihi Illorum eruditissimi Manes, (quorum
 acerba semper mihi est, & honoranda pariter recordatio) si quid,
 exigente necessitate, in contrarium asseruero, neque enim id un-
 quam prestabo contradicendi genio, neque inanis gloriolæ studio, neque
 novitatis ambitione captus; (nam ut Poëtarum quidam non inepte:


Omnia cum Veterum sint explorata libellis

Multa loqui breviter, sit novitatis opus.)

Sed quicquid produxero, Veritatis amore producturus sum, quâ præ-
 stantius nihil, nihil antiquius, venerabile magis nihil agnosco. Nul-
 lum proinde periculum mihi, DEO DUCE, COMITE

VERITATE negotium hoc aggressuro, nisi ab in-
 vidiâ imminebit.

MEM



MEMBRUM PRIMUM
LINGVÆ STATVM NATVRALEM
DECLARANS.

ARTICVLVS I.

LINGVAM, πολυδαίδαλον illud instrumentum, quo naturæ & artis arcana panduntur, expositurus cum *Parmenone* apud Eunuchi, Act. V. Scen. 5. v. 7. *Terentium* miffito: *Lingua hæret metu!* Difficile enim est, ex tot diversarum sententiarum congerie semper colligere verum, aut ubique rectâ ingredi viâ, nec extra orbitam deflectere. Cum tamen *audentes fortuna iuvet*, virium mearum periculum faciam, quid valeant humeri, quid ferre recusent, & ab ipsius nominis evolutione statim initium sumam.

ARTICVLVS II.

Volunt autem *Linguam*, apud Latinos receptissimam vocem, aliqui dictam cum *Varrone* à *ligando*, vel quòd liget articulatos sonos in verba, vel quòd cibos liget, vel quòd eburneo dentium septo, quasi muro conclusa ac ligata sit; alii à *lingendo* nominis rationem petunt, quòd ejus ministerio in lingendo utamur, mihi utraque derivatio placet, hanc enim litem Philologis dirimendam relinquo. Græci hunc flexilem concavi oris incolam γλωσσαν vel γλωτται, & Germani die Zunge / appellant.

ARTICVLVS III.

Æquivocas subit lingua significationes plures; denotat enim *Sermonem* certumq; genus ac modum loquendi apud *Plautum*: *Is omnes linguas scit, sed dissimulat sciens se scire*: In eodem sensu à Græcis accipitur: Sic *Aristophanes* ait: πᾶσαν γλωτταν βιάσινιζε, *omnem linguam i. e. dicendi facultatem excute*; & à *Thucydide* ἀγνωστότατοι τὴν γλωσσαν, *maximè ignoto sermone utentes* vocantur. Pro certâ *dialec̄to* ab *Italis* linguam accipi ex tritâ illa regulâ patet: *La Lingua Toscana in bocca Romana*. Latinis prætereà consuetum est, Linguam pro *maledictis* vel *contumeliâ* aut *calumniâ* sumere, præeunte Romanæ Eloquentiæ parente *Cicerone*; is namque

l. 6.

Vid. Linden.
Select. Med.
Exercit. XI.
§. 131. p. 406.
in Captiv.
Act. 1. Sc. 1.

namque ad *Varronem*: *Tibi idem, inquit, consilii do, quod mihi me-
ipsum, ut vitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus.*
Pervenusta & elegans est appellatio, quâ *Aristophanes* Parasitos
alienarum mensarum asseclas infectatur, dum eos *παρῆργον ἐγγλωτ-
το γαστέρων γένος, versipelle hominum genus* pronunciat, quod *Linguam
in Ventre habet*; similis namque farinæ homines quasi mures ali-
enum semper cibum edentes, linguâ victum quarunt, juxta *Plautum*,
id propter hæc in solius ventris curam atque commodum usque
intenta est, illi verò sermone se totos componunt ad placendum
& assentationem, ut placendo comparent, unde *Ventri* sit bene.
Hoc in ordine non penulati tantum, sed & togati sunt. Ultimo
Linguæ nomen *Philobotani* ob similitudinem herbis quibusdam
imponunt, unde *Linguam cervinam, Buglossum, Cynoglossum, Hippo-
glossum, Ophioglossum, Arnoglossum* insigniunt. *ἢ περι τῶτων μετ ἄλις.*

ARTICVLVS. IV.

Detracto exteriori *ἰνομασίας* involucro, ipsius rei *ἔσια* nunc
propius investiganda erit, quam facile assequemur, si de definitio-
ne nobis constiterit. *Linguam* itaque definitio, quod sit *organica
corporis pars, pro assumtis vel solidioribus, in interiori oris fornice
aliquantisper detinendis, mox facilius deglutiendis, vel liquidioribus
lambendis, saporibus item dijudicandis, ac loquelâ concinnè mode-
randâ, à naturâ producta.*

ARTICVLVS V.

l. 1. de Vsu
Part. c. 8.

Dogmat.
Medic. part.
1. c. 2. p. 29.

Genus definitionis constitui *organicam corporis partem*, si-
quidem in linguâ, uti in aliis organis docente *Galeno*, plures reperi-
untur partes minores, quarum aliarum primò & per se actionem deter-
minatam perficiunt, aliarum sunt sine quibus illa fieri nequit, rursum
aliquarum, per quas actio melior redditur, postremò aliquarum, quæ ean-
dem conservant; quæ tamen singulæ in suo genere etiam organi-
cæ dici merentur, monente *VIRO Nobilissimo, Amplissimo atq; Ex-
cellentissimo DN. D. JACOBO PANCRATIO BRVNONE P. P.
Celeberrimo, Patrono & Præceptore omni honoris cultu suspiciendo*

ARTICVLVS VI.

Hinc si substantiam Linguæ sciscitanti exponere velles, ne-
cesse eandem membranaceo-nervoso-glanduloso-carneam, ve-
nas, arterias, nervos admittentem dicere deberes: siquidem in
exteriori ejusdem parte, superiori scilicet regione, quam aperto
conspi-

conspicimus ore, notabis extimam membranam porosam, in *cornua* quædam fibrosa elevatam, quæ modò mollia & flexilia, uti in homine, modò cartilaginosa & asperiora, uti in brutis, sese offerunt, manus contactui resistentia, & eam, si à radice versus linguæ apicem ducatur, pungentia; loco cornuum in basi linguæ concava quædam ac obtusa corpora locata sunt, evidenter cava, locumque dant subintranti nerveæ papillæ. Inter præcitata vero cornua, dein quadrato ordine dispositas videbis, *primi generis papillas nerveas*; mox detractâ, sive avulsâ potius, priori illâ membranâ, substantiam in modû crassioris retis extensam conspicias, quâ examinatâ *papillares secundi generis globuli* quam plurimi visui se exponent, & circa has reliquæ *graciliores conicæ* conspectui sese dabunt, de quibus infra prolixius agemus: Tandem sub papillaribus istis corporibus Lingua carne musculosâ, multiplici fibrarum carnosarum rectarum, transversarum, obliquarum, sibi invicem superequitantium, & velut tegetem efformantium, concursu intertextâ constat: Glandulæ ex conglomeratarum genere basin occupant, aliæ minimæ & miliares fibris interioribus hinc inde dispersæ interjacent,

ARTICVLVS VII.

Numero quamvis unica appareat lingua, distinctam tamen esse volunt in duas partes, per lineam aliquam in superficie albicantem, medianam, *Hippocrati τὸ δὶκρυβὺν* dictam, ita separatas, (licet arctissimè connexæ sint) ut una pars resolvatur, alterâ illæsa, & una affici inficique pravo colore possit, intactâ omninò alterâ; *neq; enim Vena, neq; Arteria, neq; Nervi dextri eunt in latus ipsius sinistrum, & viceversa.*

Casp. Hoffman. Comment. in Gal. l. XI. de Vsu^o Part. c. X. Vid. Aristoteles l. 2. de part. animal. c. 19.

ARTICVLVS VIII.

Prætereà inferius in medio centro, ligamento valido & membranoso ad robur & stabilitatem, item ad insertionem priorum muscutorum à naturâ firmata est, cujus extremitas *frenulum* constituit, impediens, ne lingua nimium excurrat, aut inordinatiùs moveatur: Hoc in quibusdam recens natis adeò totam linguam alligat, ut divelli obstetricis ungue, aut Chirurghi scalpello incidi soleat, ne suctioni vel loquelæ impedimento sit, quæ tamen operatio sæpè pernitiola non levi caret periculo, uti ex Historiâ *Guilielmi Fabricii Hildani*, ad *Avum meum* p. m. DN. D.

Vid. Hild. Cent. 3. Obs. 28. & Horst. Oper. Med. Tom. 3. p. 116.

GREGORIUM HORSTIVM perscriptâ patet. Pessimè ergò faciunt,

B

faciunt, qui indifferenter (imperitè satis) omnibus infantulis ligamentum hoc interfecare jubent, contra Numinis & Naturæ prudentiam, quasi in maximè ad loquendum necessarii organi structurâ tam frequenter aberraret.

ARTICVLVS IX.

Porro, quod Linguae quantitatem concernit, tantæ magnitudinis secundum naturam existit, quæ oris capacitati respondeat: figurâ pyramidem imitatur, nam pars anterior, quæ *Pro-glossis* sive *apex* dicitur, acutior dentibus alliditur, posterior latior in sinuoso faucium antro, *basis* sive *Hypoglossis* dicta, absconditur. Superior ac asperior palato vicina *Epiglossis*, excavationes utrinque obviæ *Ciramon* & *Parastira* vocantur.

Proth. Casulanus l. i. c. 5. p. 23.

ARTICVLVS X.

Vasa recipit satis conspicua, duæ enim insignes Venæ sub linguâ excurrunt, à Jugularibus externis ortæ, ob colorem verò Raninæ appellatæ; Has totidem comitantur Arteriarum Carotidum propagines. De Nervis scriptum reliquerunt Veteres, duo paria ramulos suos ad Linguam amandare, quorum quod tenuius à quartâ conjugatione (*Willisio quinta*) dimissum, per exteriora Linguae ferri, & gustum juvare; Alterum, quod crassius à VII. conjugatione (*Willisio nonâ*) deductum, interiora subire, & motum largiri crediderunt. Verum enim verò blandum istud ingenii somnium facile eludit solers oculus, dum cernit, furculos ab utrâque conjugatione prodeuntes, in progressu mox sibi invicem ita implicari, ut omne pereat discrimen: Insuper constat, plerosque nervos, qui sensui tactus (cujus speciem gustum infra statuimus) etiam partium ad quas pertingunt motibus inservire.

Vid Thom. Willif. de Anima Brutor. part. i. c. XII Carol. Fracassat. in Epistol. de lingua. pag. 163.

ARTICVLVS XI.

Adhæc, quia juxtâ *Homeri versum*

Σίρειπτή δὲ γλῶσσο' ἐστὶ βροτῶν, πολέεσ δ' ἐνὶ μῦθοι

παντοῖοι:

Volubilis lingua est hominum, multiq; insunt sermones

Omnigeni:

Iliad. Y.

Ideò diversis motibus cieri debuit, hos vero accipit à musculis, quorum ab Anatomicis nonnullis VI, ab aliis IX, à quibusdam X aliisve XI, linguam moventes sursum, deorsum, antrosum, retrorsum, inque latera dextrorsum & sinistrorsum, recensentur.

Primum

Primum par est *styloglossum*, à styloide temporum epiphysi in linguæ latera propò medium deductum; hoc rectà totam linguam attollit, si simul operetur, in latera verò eam convertit, si unus tantum agat.

Secundum par *Myloglossum*, originem ducit à lateribus maxillæ inferioris, ad radices dentium molarium, inseritur sub linguæ basi in ejus Ligamentum. Vsum hoc par præstat sequentem, nimirum ut linguæ apicem rectà ad palatum & superiores dentes adducat, quod si verò unus tantum moveatur musculus, linguam oblique sursum trahat.

Tertium par *Genioglossum* ab ortu & insertione nuncupatur, quod ab asperitate, quæ in mediâ maxillâ inferiori, sed internâ facie est, initio angusto satis pronatum, mox latius redditum, in linguæ ferè radicem inseritur. Hoc par contractum linguam extrà dentes labiaque proferre creditur; inscriptiones in eo aliquas videre licet, ac si plures distincti essent muscoli.

Quartum oritur carneum ex superiore & media regione ossis Hyoidis, finitur in medio, postquam productum est secundum linguæ longitudinem: Dividitur alicubi obscure, ut figuram plurium præ se ferat musculorum; Vfus ejus est linguam rectà intrò trahere ac deprimere. Dicitur vulgò *Basioglossum*, vel *Hypsiloglossum*.

Quintum *Ceratoglossum* audit, hoc ab Ypsiloidis cornubus oriundum, in radicem linguæ implantatur, dum verò ejus fibræ per linguæ latera ad apicem rectà progrediuntur, & æqualiter contrahuntur, elevatâ acie suprâ corpus reliquum, linguam superius sinuant; si verò alterius lateris musculus tantummodò agat, erectus apex in latus etiam convertitur, sicuti alternatâ fibrarum contractione tremula oboritur conversio linguæ in oris latera, & intercisa tunc oris expressio formatur.

Addunt denique alii undecimum quoque musculum, sine pari, qui tamen musculus non est, fibris siquidem non constat carnosus; sed est compages quædam ex plurimis glandulis & pinguedine ad radicem linguæ sita, atque remotis modo enumeratis hisce musculis apparens.

Vid. Bauh.
Theatr. A-
nat. l. 3. § 90.

ARTICVLVS XII.

Consideratâ hucusque structurâ linguæ naturali, ordinis ratio jubet, ut ipsius usus quos præstat varios declarem: priusquam tamen hoc fiat, nolo intactam relinquere quæstionem no-

Oper. l. 1.
Histor. 71. p.
123.
Tom. III. p.
115.

tam : *An lingua pars corporis humani ita absolute necessaria existat, ut vita sine eadem salva esse nequeat?* Respondeo: Linguam non absolute conferre ad esse Vitæ, sed ad bene esse: partem enim ejus abscindi posse, sine Vitæ aut Valetudinis noxâ post *Galenum* expertus est *Zacutus Lusitanus*. Singularem & notatu dignam observationem recenset ante citatus DN. GREG. HORSTIUS, ex communicatione Patris sui JACOBI HORSTII P. P. *Helmstad. quondam meritissimi*, de linguâ in puero variolis laborante ad radicem usque corruptâ, & semestri vicissim sufficientem integritatem nactâ.

ARTICVLVS XIII.

Lib. 2. de
Partib. Ani-
mal. c. 17. p.
m. 1141.

Nihil intereâ laudis decedit linguæ, utpote sine quâ corpus mancum, & judicium tenebrosum relinquitur. Gustus in eâ organum, unanimis ferè tam Philosophorum, quàm Medicorum consensus collocat: Hinc teste Aristotele: *ἄνθρωπος ἀπολελυμένῳ τῆ καὶ μαλακωτάτῳ ἔχει μάλιστα τὴν γλῶττιαν καὶ πλατεῖαν, ὅπως πρὸς ἐκατέρας ἢ τὰς ἐργασίας χρήσιμος πρότε τὴν τῶν χυμῶν αἰσθῆσιν, καὶ πρὸς τὴν τῶν γραμμάτων διάρθρωσιν.* h. e. *Homo linguam absolutam, mollissimam & latam præcipue habet, ut commoda ad utrumq; officium sit, ad sapes nempe excipiendos, & ad literas exprimendas.*

ARTICVLVS XIV.

l. de muscul.
artific. part.
2. p. 82.

Quàm pulchrè autem inter laudatos istos Auctores convenit, sapes à linguâ imbui; in tam diversas rursus abeunt sententias, quando determinare jubentur, certam linguæ particulam, cui primariò isthoc munus competat; cùm enim lingua habeatur pars organica, ex pluribus partibus constituta, meritò quæritur, cuinam harum principaliter gustatio sive saporum perceptio assignanda sit? Siquidem ex *Galen*i sententiâ in omni Organo, quod ex multis constat particulis, una tamen præ cæteris in eo consistit, cui potissimum actio totius organi commissa est, quæ proinde censetur autor & prima causa ipsius actionis, loquor verbis *Hieron. Fabricii ab Aquapendent. Anatomici Patavini ultra L. annos meritissimi.*

ARTICVLVS XV.

l. 4. de loc.
affect. c. 2.

Galenus tunicæ per linguam expansæ munus hoc conferre videtur, dum vitiatâ illius temperie gustum vitiari demonstrat; posset hæc assertio ulterius confirmari ex eo, quòd non solum linguâ, sed etiam palato sapes percipiamus, jam verò palato & linguæ

guæ nihil simul commune est, quàm tunica exterior circum ambiens. Alii propius ad scopum collimantes Nervum Gustatorum eo nomine adducunt, propterea, quod ipso læso, gustatus quoq; lædatur, mirum enim illud est, quod de Lazaro, Vitrivorace Realdus Columbus hunc in modum scribit: Lazarum Vitrivoracem, vulgò dictum patricii omnes Veneti, imò Veneti omnes, omnes Ferrarienses de facie noverunt. Hic nullo prorsus gustu, dum viveret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem nihil injucundum persentiebat, insipida, amara, dulcia, pinguis, salsa, acris non distinguebat; Vitrum, saxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, pisces è vivario extractos, adhuc salientes vorabat. Vorabat lutū, lineos laneosq; pannos, fœnum, stipulam, & ut brevi omnia complectar, quicquid homines, quicquid animantia vorant, quidquid illi edendum, seu deglutiendum potius, offerebatur, mercede propositâ dictum ac factum ingurgitabat. Testis est inter reliquos Martinus Aromatarius Patavii ad Angeli insigne, cui sacculum carbone refertum, & saccum insuper devoravit &c. Quo viso persolvit, quod pollicitus fuerat, comminatus ne ad Pharmacopolium amplius accederet, veritus ne se cum taberna & vasis esitaret. Cum igitur hoc natura monstrum mihi disseccandum esset Patavii, cæpi hujusce rei diligenter, quoad ejus fieri potuit, causas venari, quam me tandem Deo Duce ex particulari illius structurâ assecutum esse confido. Nam quarta nervorum conjugatio, quæ gustus gratia in aliis hominibus producta est, in hoc Lazaro Vitrivorace, neq; ad palatum, neq; ad linguam reptabat, sed ad occipitiū reflectebatur. Diverlam rursus fovent sententiam cum Excellentiss. Dn. D. Bauhino, Capivacius Varolius & alii, qui internam linguæ carnem spongiolam verum & proprium Gustatus esse organū existimant, ad quam tunica instar medii interni sese habeat: Necessariò enim (uti inquit Medicus hujus seculi haud postremus) hæc operatio tali particula est adscribenda, quæ in reliquis membris non inveniat, & ad sapores dijudicandos aptitudinem habeat, quod nulli alii convenit, quam dicta carnosæ substantiæ, quod etiam Galenus indicare videtur; ubi gustum, partim ad linguæ singularem substantiam; scil. spongiosam propriam carnem, partim ad tunicam, partim quoq; ad nervos molles pertinere dicit. Hæc ille. Epicrisin dein subjungit hilce verbis: Non igitur Tunica per linguam expansa est primarium gustus organum, sed habet sese instar interni medii, unde est causa, sine quâ

l. XV. Anat.

Vid Sennert
L. III. Pract.
part. 1. Sect.
1. capite 3.

Bauh. l. 3.
Theatr. c.
91. Capi.
Comm. A.
nat. c. 31.
Varol. lib. 2.
cap. 7.
G. H. Tom.
1, pag. 100.

non potest fieri gustus, ideoq; eadem præter naturam infectâ Gustus leditur, quod Galenus innuit. Et quamvis in palato quoq; percipiamus quodammodo sapes, non tamen illud primatui linguæ aliquid detrahit, quia palatum imperfectè sapes dijudicat, propter quandam continuitatem, quam habet cum linguâ, respectu nervorum gustatoriorum. Nec etiam nervus primarium potest esse gustatus organum, quia non perciperet sapes, nisi in linguam insereretur: Ergo non per se, sed linguæ beneficio sapes percipit, eo modo, quo Opticus beneficio oculi colores videt; Ulro igitur (concludit) illud concedimus, laeso nervo gustatum ledi; non tamen inde sequitur, quod nervus primarium sit organum, quia & causa sine qua non apta est, ut actionem impediatur, quatenus leditur.

ARTICVLVS XVI.

Quod iudicium tum temporis, ubi Anatomicorum, aliàs peritorum, manus tam oculatæ nondum erant, uti nostrâ hâc ætate, certe omnimode satisfacere poterat; Verum quum NATVRA nihil tam altè constituerit, quò ars eniti non posset, in hâc quoq; controversiâ, ut & in aliis dirimendis, Ingeniosissimi omnium ferè hujus temporis Accuratum Microcosmi Scrutatorum Proceres MARCELLVS MALPIGHIVS & CAROLVS FRACASSATI posteritati novum reliquerunt inventum, quod inter nobilissima certè, simul ac utilissima numerandum; dum gustus organum, à nemine prius unquam observatum, quotidianum licet sit, & in cuiusvis incurrat sensus, singulari adhibitâ diligentia eodem ferè tempore detexerunt, (quamvis prima inventi occasio Malpighio debeatur) Papillares nempe eminentias nervorum, hinc inde per totam linguam dispersas, certaque magnitudine & situ distinctas, quarum historiam breviter, perspicuè tamen subjungam.

ARTICVLVS XVII.

Sunt autem dictæ papillæ in triplici discrimine. I. aliquæ majores observantur, quæ ad latera præcipuè apicis linguæ situantur, in areâ etiam superiori linguæ, quadrato ordine disponuntur, dehinc circa mediam regionem, ubi albescit lingua, raræ, in basi verò & lateribus aliquæ insigniores occurrunt. Has sive cum Malpighio loco citato cornubus limacum emissilibus, sive cum Laurentio Bellini fungis terrestribus ob figuræ similitudinem æquiparaveris, nullibi errabis. Appensum enim habent hæ primi generis

Vid. eorundem Epitolas de linguâ ad Ioh. Alphons. Borellum, Mathematicum Pisanum scriptas.

de Gustus Organo cap. XIII.

ris papillæ funiculum nerveum sive pedunculum (ex pluribus nervulis coeuntibus, tenuique membranâ circumdati productum) à quo assurgentes, mucosam transeunt substantiam, tandemque superius in rotundum desinunt capitulum, foraminulis plurimis, iisque angustissimis pertusum, quod in exteriori linguæ membranâ concavam efficit cavitatem, intra quam reconditur; hinc si membrana digitis avellatur, circumducta velut orificii labra ostendit. II. Alterius ordinis papillæ sese offerunt, numero plurimæ, respondentes cornibus illis, in exteriori membranâ elevatis: quot enim cornua, tot papillæ nerveæ intus reperiuntur, quæ à communi papillari corpore exortæ, in mediocrem altitudinem elevantur, & ab extremo apice nerveas propagines ulterius emittunt, quæ subintrant jam exaratos sinus cornuumque radicibus occurrunt. III. Circa has innumeræ ferè conspiciuntur papillæ, idem exordium sortitæ, & ad eandem altitudinem elevatæ, graciliores tamen quæ coni figuram referentes, proprios sinus in jam exaratâ mucosâ substantiâ excitatos subintrantes tandem desinunt versus extimam membranam. Circa basin linguæ in cornuum situ papillæ nerveæ exaratæ foràs eminentes, mutant figuram, & obtusiores, mox subrotundæ & depressiores fiunt, & harum insigniores non valdè ab similes sunt iis, quæ ad radices dentium in buccis observantur. Singulas in Linguâ bubulâ, vitulinâ, & ovillâ aliquoties, nuperrimè verò in cervinâ, monstrante Experientissimo DN. PRÆSIDE, mihi cernere volupe fuit.

ARTICVLVS XIIIX.

Intèr recensitas hæc papillas vel fungulos primas ferè videntur in gustandi officio primi generis, tum ob insignem magnitudinem, tum ob nerveum appensum funiculum, cui arctissime adhærent; nec tamen & reliquis, utut exiguis, ast numero exilitatem exæquantibus, hoc munus denegari poterit.

ARTICVLVS XIX.

Prætereâ quia in palato, & buccis simile papillare corpus, quamvis valdè gracile, sese ostendit, ibidemque papillæ aliquot majores conicam figuram referentes, foràs erumpunt, iisdem minimis inter glandularû excretoria Vasa disseminatis, non mirum, gustum quoque ibi adesse. Diversus naturæ lusus, an scopus dicam in piscibus se manifestat, quorum aliqui linguam acceperunt, alii non
item;

Lib. 2. de
part. animal.
cap. ultimo.

item; illi linguâ præditi palato carnosio carent, hi linguâ destituti tali palato gaudent, teste *Rondeletio*, penes quem fides sit. Ipse *Aristoteles* scribit: *Palatum piscium etiam complures carnosum habent; & quidem inter fluviatiles nonnulli admodum carnosum & molle, ut cyprini nomine, adeo ut si parum diligenter advertas, lingua id esse videatur.* Utriusque ordinis pisces, ut aliquem gustus sensum haberent, natura ad finem interiorum branchiarum, notante *Carolo Fracassati*, inter protuberantias quasdam osseas ac dentatas membranæ expansæ, quæ œsophagi principium constituit, papillulas plurimas associauit, similibusque palati fornicem exornauit: sed cur in iis linguam habentibus piscibus, eam papillis non distinxerit benigna rerum parens, dubium? An noluit inarticulatæ hoc beneficium concedere linguæ? An inutiles tales fuissent ipsi perpetim limo obductæ? Subjungit verò ante citatus *Fracassati*, in aliquibus latis piscibus ad linguam cartilaginofam, se vidisse papillas, in latus excurrente nervo veluti reuinctas.

ARTICVLVS XX.

Lib. 2. de
part. animal.
cap. 17.
Lib. 3. de
Anim. c. 12.
text. 63.
Vid. idem l.
de sensu &
sensili. c. 4. &
lib. 2. de
part. Ani-
mal. cap. 10.

Firmo itaque stat talo, papillas, seu papillaria capitula, vel fungulos istos nerveos, in linguâ, itemque palato proprium & genuinum gustus organum esse; Restat ut declaremus, quid gustus sit, & quomodo excitetur? Jam verò scitè olim docuit *Aristoteles*, gustum tactum quendam esse; clarius verò idem protulit his verbis: *Ἡ γευσις ἐστὶν ὡσπερ ἀφήτις, τροφῆς γὰρ ἐστὶν, ἢ δὲ τροφή τὸ σῶμα τὸ ἀπτόν, i. e. Gustus est ut tactus quidam alimenti quidem, alimentum autem corpus tangibile.* Unde papillas sive capulas istas nervolas *παρὰ δόξως* digitulos appellare poteris, qui alimentorum sapes molliter palpando immistos sentiant ac percipiant, ut ita gustus tunc excitetur, quando assumpta ab aëris vi pressoria & elastica, partim ab intermedia ad palatum allisione papillas nervosas diversimodè tangunt ac simul afficiunt; quod ex sequentibus perspicuè magis elucelcet.

ARTICVLVS XXI.

Gustus objectum constituunt sapes, quorum diversas species priusquam comemorem, non erit peplo silentii involvenda quaestio, à quonam principio isti dependeant? Suspicio omnes proficisci à principio Salino modò solo, modò particulis sulphureis

reis, mercurialibus, terrestribus & aqueis, varia combinatione juncto: cui opinioni probabilitatem inde adstruere licet, quod res Sale destitutæ ut plurimum insipidæ notentur: Sic si cineres, extracto prius ex iis sale, linguæ imponas, nullum saporis vestigium imprimunt; idem vulgatus mos, res insipidas ad sapiditatem traducendi per admistionem Salis, suadet.

ARTICVLVS XXII.

Ceterum quia *Salia magis & melius agunt soluta* utpote liberiora facta, & facilius per obvios porulos ac meatus penetrant (quem Chymicorum Canonem ex privato discursu *Excell. DN. D. PRÆSIDIS* notavi) ideò Sapientissimus Conditor, liquorem menstruum idoneum, linguam perpetuò inundantem dedit, salivam, quæ assumpta prius malticata sive comminuta corpuscula lapida diluit & quasi elixiviat: *αἱ δὲ πηγαὶ αὐτὰι εἰ μὴ ἦσαν, ἐδίοντες ἄν καὶ πίνοντες, ἔκ ἄν διεγινώσκομεν ἀτρεκέως, ἕτε ὃ, τι ἡδύ ἐσιν, ἕτε ὃ τι ἀηδέες, nam nisi fontes isti (puta salivæ) adessent, dum comedimus aut bibimus, non utiq; certò dignosceremus, quod in cibo & potu suave esset, aut insuave,* sano sensu verissimè *Hippocrates* scripsit. Huc accedit, quod arescente linguâ papillarum cœci ductus constringantur, nec satis Salibus excipiendis pateant.

Hipp. lib. 4.
de morbis
12.

Iungatur
Disp. DN.
D. PRÆ-
DIS de Salī-
vâ, th. 23.

ARTICVLVS XXIII.

Sed ecce! facile mens præfagit, quenquam futurum, qui causam à me petat, si saporès proficiantur à principio Salino, & gustus excitetur, si ab objectis papillæ nervæ afficiantur, cur saporès distincti dentur? Cui quæsito triplicem rehero responsionem: I. Licet omnes saporès principium agnoscant Salinum, illud ipsum tamen, quia diversimodè cum particulis Sulphureis, Mercurialibus, terrestribus & aqueis connubium patitur, saporum quoque diversitati favere. II. Figurarum in Salibus differentiam necessariò varias linguæ causari impressiones, (dum hæ pungunt, illæ incidunt, aliæ leviter titillant, hæ rectà, aliæ oblique ingrediuntur &c.) illas diversitatem saporum subsequi: Differentes verò Salibus inesse figuras Chemia demonstrat, cubicum enim est Sal commune, nec non Sal capill. Veneris, octaedricum O. & Sal Mellif., Vitriolum rhomboicum, Nitrum pyramidale, Armoniacum in hexagonas cuspidulas abit, Sal Endiviæ duas retusas cuspides hexagonas medium complectentes offert, Sal acetosæ quasi pyrami-

C

rami-

ramidem exprimit. III. Vt facilius concipias, eandem rem diversimodè figuratam & dispositam discrepantes edere operationes, considera chalybem, ex eo si cultrum formaveris, secabit, si aciculam, punget, si terebram terebrabit, si ligonem, fodet, prout enim in varias formas elaboratus fuerit, ad varias quoque operationes edendas aptus erit.

ARTICVLVS XXIV.

Sequuntur nunc ipsi sapes, qui in simplices dividuntur, & compositos: Simplicium *Cl. Dn. D. Willisius* novem recenset: 1. occurrit sapor Acris, sensorium pungens & valdè fodicans. 2. Amarus, qualis in felle aut absynthio emicat, aculeis quibusdam furcatis sensorium non altè, sed superficietenus tantùm vellicans. 3. Salsus, angulis quamplurimis, & laterum aciebus aculeatis sensorium quasi incidens. 4. Acidus particulis tetrahedricis sensorium pungens & constringens. 5. Austerus sive adstringens, uti in Acacia, Sumach, Gallis &c. hamulis plurimis sensorium contrahens. 6. Acerbus, cujus particulæ sunt etiam hamulis & uncinulis præditæ, sed hebetioribus magis obtusisque 7. Dulcis, mollibus aculeis sensorium leniter fricans & titillans 8. Vnctuosus globulis sphæricis sensorium nec pungens, nec vellicans, sed molliter subintrans. 9. Insipidus à *Willisio* nominatur, in quo aquæ aut terræ principium reliquis præcipuè prævalet, hunc concipere superficieculis glabris ac lævigatis papillas tantùm leviter prementem, nec ulla alia ratione afficientem. Plura de his qui desiderat, *Willisium* adeat *c. l.* Item *Anton. le Grand.*

ARTICVLVS XXV.

Pergo ad reliquos Linguae usus enumerandos: præterquam enim quod in linguâ genuinum gustus organum adsit, illa quoque deglutitionem promovet, dum palato adducitur, spaciaque inania replendo, quicquid in faucibus adest, deorsum impellit; non minus suctioni recens natorum commoda est.

ARTICVLVS XXVI.

Adhæc primam ciborum in ore præparationem faciliat, dum copiosissimis suis corporibus fibrosis, in exteriori parte, ab apice ad radicem excurrentibus, cornubus dictis, glandulas palatinas mediante motu perpetuò comprimit, & salivam elicit, masticationi absolvendæ perquam necessariam. In brutis verò Cornua

De Anima
Brut. c. XII.
p. m. 94.

Histor. Natural. part.
II, artic. V.

nuā hęc cartilaginosa & duriora aliam insuper præstare videntur utilitatem, scilicet, quia instar uncorum efformata sunt, in illis prono capite incedentibus, & unâ tantum parte dentatis, alimenti apprehensionem & retentionem in ore, ne rursus excidat, juvare poterunt.

ARTICVLVS XXVII.

Nec est ut amplius miremur, cur alimento spirituofo vix ore hausto, citam virium restorationem sentiamus? siquidem constat papillas suprâ adductas nerveas innumeris foraminulis disunctas facilè spirituosiores portiones tenuissimas imbibere, & ad appensum funiculum nerveum transmittere; sed & ante laudatus FRACASSATI circa linguæ radicem notavit cavitates, omnes in nervos definentes, & quasi quorundam infundibulorum, alimentum subtilissimum eò portantium, vicem subeuntes.

Vid. LeYotter
nal des Sc.
vans Anni
1667. Ephe-
mer. XII. p.
718.

ARTICVLVS XXVIII.

Restat, ut & illum linguæ usum, quem Natura homini à reliquis brutis, ventris mancipio natis animalibus, peculiarem concessit, adjungam. Lingua hîc loquelæ articulatæ moderatrix & mentis interpres existit. O usum egregium! Quid enim lingua, nisi loquens calamus? quid calamus, nisi lingua tacitè clamans? Illa spiritu, hic atramento utitur, illa describit vocibus, hic literis, illa auribus locutione, hic oculis scriptione placet: Quot autem & quanta per linguam proveniunt ratione loquelæ commoda, tot etiam & tanta inde propullulant mala, si egregio hoc abutaris dono, nec sermonem eminentiori rationis imperio subjicias, sed nimis laxas linguæ remittens habenas, ea deblateres, quæ alto debuissent sepeliri silentio; Ast cave, ne enormis loquendi licentia in eam te conjiciat culpam, quam plures vitæ dispendio redimere coacti fuerunt, unde veriverbium *Italorum* proverbium est:

La Lingua non hà osso, è si fà romper' il doffo.

Id ipsum ne malo tuo experiaris, aliud eorundem dictæ intimæ memoriæ defixum tene: *Parole Poco Pensate Portano Pena, Però*

Pensa Parlare Poche Parole, quo velut gemmâ pretiosâ

primum hoc Dissertationis meæ membrum

obfigno.

C 2

MEM.

MEMBRUM SECUNDUM
EXHIBENS
LINGVÆ STATUM PRÆTER
NATURAM.

ARTICVLVS XXIX.

Quemadmodum sensuum externorum beneficio sensibiles apprehendimus species, & conceptuum nostrorum initia formamus; ita formatas notiones ope partium, voci & respirationi inservientium, vicissim loquelâ exprimimus, & hoc modo animi nostri sententias aliis quoque communicamus; si quidem organa omnia in statu naturali benè munia sua obierint.

ARTICVLVS XXX.

Accidit tamen præter naturam, ut illa diversimodè vitata vel depravata, functiones, quibus destinata sunt, ritè exequi nequeant: Similem Gustus organum LINGVA quandoque patitur defectum, ob varios morbos & symptomata, ipsam infestantia, quæ ὡς ἐν τύπῳ & παχυλῶς declarare in præsentiarum animus est.

ARTICVLVS XXXI.

Primò inflammatur in febribus continuis, malignis, ardentibus, anginâ &c. quando sanguis biliosus, acris, fervens per Arteriarum Carotidum propagines nimio impetu affluens, vasorum & fibrarum ordinē turbat, nec per Venarum jugularium surculos promptè refluit, sed subsistit, hinc Lingua aut tota intumescit, aut in particularem tumorem elevatur, qui sæpius in abscessum degenerat.

ARTICVLVS XXXII.

Non solùm verò tumor à Lingvæ inflammatione inducitur, sed & à causis externis, ut inunctione hydrargyri, esu fungorum venenatorum, morfu animalium perniciosorum aliquando talis oritur: Distincta tumoris species œdemati vicina, est *Ranula* sub linguâ, molliorem ejusdem partem tantùm occupans, pueris admodum familiaris, Gr. Βάτραχον dicta; causam agnoscit ut plurimum, massam chylosam, crudam, tartaream à sanguine in transitu ibi relictam, unde si aperiatur, mucus albumini ovi similis effluit, haud rarò ob longiorem moram, ex mucosâ illâ mate-
riâ

riâ concreti calculi simul prodeunt. Qui aliquando priusquam sectione tollantur, acerbissimos dolores excitare solent: Nec sub linguâ tantum sed & in apice ejusdem similes lapillos genitos fuisse *Zacutus Lusitanus* affirmat.

de Prax. Mi-
rabili lib. 1.
Obs. LXXIX.

ARTICVLVS XXXIII.

Prætereâ lingua redditur aspera, sicca & nigra, cum scabritie atque scissurâ à fuliginibus ibi subsistentibus, vel vaporibus calidis & acris eò delatis; interdum ab humorum serosorum acrimoniâ eroditur atque exulceratur.

ARTICVLVS, XXXIV.

Quin & linguæ substantiam deperdi historiarum certissima fides testatur, deperditam verò rursus regeneratam esse, superius exemplo probavi: Hic ansa datur inquirendi, an sine linguâ quis loqui possit? *JOH. RIOLANVS* affirmare videtur, linguâ ablatâ articulatæ vocis beneficium non prorsus adimi, dum narrat, quosdam fuisse, qui sine linguâ, satis distinctè loquerentur; sed mox addit, forsan remansisse portionem linguæ in imis faucibus, quæ cum glottide & gargareone voces articulas effecisset. Naturales planè excedit vires historia alioquin notatu dignissima, quam *Marcellinus* de puero quodam sine linguâ loquente reliquit: *Rex Hunericus, ait, unius catholici adolescentis vitam à natiuitate suâ sine ullo sermone ducentis, linguam præcepit abscindi; idemq; mutus, quod sine humano auditu Christo credens, fide didicerat, mox præcisa sibi linguâ, locutus est, gloriamq; DEO in primo vocis suæ exordio dedit. Deniq; ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos apud Byzantium integrâ voce conspexi loquentes.*

Articulo 10.
Enchirid. A-
nat. lib. IV.
c. XII. p. 314.

in Chronic.
suo A. C.
484.

Confer Tob.
Magiri Flè-
rileg. pag.
1429.

ARTICVLVS XXXV.

Porrò motus Linguæ variis læditur modis: Primò aboletur, 1. Conformationis vitiatæ à primo ortu contractâ culpâ 2. dene-gato spirituum animalium influxu, tum ob subsidentiam cerebri & compressionem principii spinalis medullæ, uti in Apoplexia, tum ob nervorum angustiam aut obstructionem, uti in paralyfi; 3. Consumtis aut ad alia loca avocatis spiritibus in Syncope, Uteri suffocatione, irâ vehementissimâ, terrore, gaudio repentino.

Secundò immittitur, quando Lingua frenulo suo nimis adstringitur, (talis afflictio Græcis dicitur ἀγκύλωσις, & eam tolerantes ἀγκυλώλωσσοι vocantur) vel à tumore, Ranulâ dicto, detinetur, vel ipsa ab inflammatione tota tumescit; similiter idem impeditur ex concussionem cerebri per ictum vehementiorem factâ, & à crapulâ. *Tertiò depravatur* in hæsitatione ἰχνοφωνία, dum homines non possunt initium capere loquelæ, nisi linguam aliquoties moveant, aut postquam loqui inceperunt, non possunt in sermone progredi, sed sæpius eandem vocem repetunt, quod vitium partim consuetudini, partim inordinato spirituum influxui assignamus: Non minus depravatur motus linguæ, quando una syllaba pro alterâ profertur in blæsitæ & balbutie, quarum hæc literas aut syllabas quasdam inter pronunciamdum absorbet, vel quasi supprimit; Illa literarum unam pro alterâ vitiosè effert, imprimis literam R. Dependet hoc malum ut plurimum à fibrarum carnearum in musculis invalidiori robore, & ob præsentiam copiosæ humiditatis nimiam relaxatione, cui conformatio linguæ inordinata inutiles suppetias fert.

ARTICVLVS XXXVI.

Tandem nec gustus organon speciatim à præternaturali morbosâ dispositione immune est; Pariter enim & gustus I. *abolitur*, in gustus nullitate, quam ἀγευστία Græci vertunt, obstructis penitus papillarum nervosarum meatibus, aut ob omnimodam absentiam spirituum flaccidis & concidentibus. II. *Immittitur* ex iisdem causis, sed levioribus, item quando papillæ deficiente humido irrigante, nimis aridæ & siccæ factæ, se contrahunt, aut ipsarum capitula, mucò obducta sunt, quo minus sapes penetrare possint. III. *Depravatur* culpâ salivæ, alieno sapore corruptæ, vel aliorum humorum excrementitiorum affluentium, sensorio peregrinum saporem perpetuò imprimendum, porulosque papillarum invertentium, quò minus oblata lapida discernere rectè queant.

Vid. Ant. le
Grand. Hist.
Nat. 9. part.
art. 2. p. 302.

Tantum de Linguae Statu præternaturali.

MEM-

MEMBRUM TERTIUM
SIGNA EX LINGVA PETENDA
CONTINENS.

ARTICVLVS XXXVII.

PRudentissimè Orbi Medico quondam notissimus *Ludov. Mer-* Tom. I. ope-
catus pronunciavit: *Adeò signorum tractationem & notitiam* rum p. 704.
in re Medicâ utilem & necessariam esse; ut neq; cognoscere quic-
quam, neq; predicere aut praeavere, aut rectè curare possimus, citra
signorum adminicula & beneficium, cum hâc in parte utilior longè
& necessaria magis existat, cum futura cognoscere & predicere lon-
gè difficilius & incertius sit, quàm præterita & præsentia cognoscere:
Hæc quippe Medicinæ pars, (σημειωτική nempe,) juxta Dunc. Liddeli- 4. Art. Med,
um, omnium propemodum dignissima & Medico maximè necessaria 1. p. 311.
est; dum latentes morbos præsentis per signa dignoscimus, & quæ præ-
terita sunt, tanquam præsentia commemoramus, quæq; ventura sint,
prædicimus, & non solum quid in curatione faciendum, quid vé omit-
tendum sit, cognoscimus, sed etiam auctoritatem nostram apud agros
conseruamus, ac præterea divinam quandam artem profiteri puta-
mur: Cui calculum addit Fernelius Amb.: Tanta, is inquit, est si- de sympt. l.
gnorum necessitas, ut his sublati Medicina fundamenta corruant. 2. c. 7. p. m,
401.

ARTICVLVS XXXIIX.

Jam verò eminent inter signa tanquam palmaria *Pulsus & Urina*, quæ etiam à doctis Medicis conjunctim cum aliis in ple-
risque morbis diligenter attenduntur, si *Vromantas* quosdam ex-
cipias, qui solam *Vrinæ* inspectionem sufficere falso sibi persua-
dent, contra quales viritim insurgit *Excellentissimus ac Amplissi-*
mus DN. D. JOH. DANIEL. HORSTIUS Patruus meus ad cine-
res usq; venerandus, ita dicens: *Damnamus medicos illos divinato-* Manuduct.
res, (ad matulam) qui solo lotio inspecto multa vaticinantur, quæ ad Med. part.
omni rationi, experientia ac eventui contrariantur. Vrina quan- 1. c. 2. Artic.
doq; inspicienda, fateor, sed & ager ipse invisendus, ejusq; status 2. p. m. 115.
& conditio penitus discenda, cum non omnem agri agritudinem loti- Videatur &
um significare possit. Dantur tamen qui gloriantur, ex inspectâ Vri- Willis. de
nâ omnia se scire posse! Ast Vroscope *Vrinis in*
Epistola ad
Dn. Bat-

CH hurst.

*Cur lotium absq̄ conspicillo judicas
Et nummulos per conspicillum noscitas?
An cura major tibi est pecunia,
Quam quâ salus ope languido reddi queat
Fidei tua vitam suam qui credidit?*

Ita queritur otium Marpurgense Pinciers. Hæc Horstius.

ARTICVLVS XXXIX.

Pulsui & Vrinæ meritò associare licet LINGVAM, ut ità tria habeamus signa, tribus corporis ventribus numero paria, si Vrinam infimi, Pulsum medii, Linguam supremi ventris sive capitis peculiarem characterem ponamus, quam sententiam ex ore VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi ac Experientissimi DN. D. MAVRIC. HOFFMANNI, Sereniss. Elect. & Marchion. Brandenburg. ut & Reipublic. Noriberg. Archiatri felicissimi, Facultatis Medicæ Senioris, ac p. t. DECANI Spectatissimi, Dn. Præceptoris studiorumq̄, meorum Promotoris debito cultu ac observantia et atim prosequendi, me hausisse gratâ mente profiteor. Quod si tribus symptomatum classibus signa accommodare velles; actionibus læsis pulsum, excernendis retentis, vel retinendis excretis, urinam, qualitatibus denique mutatis linguam attribuere posses.

ARTICVLVS XL.

Jam verò licet speciale capitis signum sit Lingua, nihilominus tamen sicut etiam reliqua generaliter de toto corpore testari valet, & rerum plurium index esse potest, juxta Aristotelem, situm enim per oportunitatem obtinet, dum in confixio & exitu (ut verba Clariss. Joh. Riolani mea faciam) trium magnarum cavitarum Capitis, Thoracis & Abdominis ratione œsophagi locata est; nec facile ejus indicia sensus fallunt, dum in loco conspicuo oculis exponuntur, cum econtrâ pulsus cum majori difficultate tactu exploretur, aut urina variis modis sæpè turbata ritè cognoscatur: Et quem latet, urinam aliquando Renum itemq; Vesicæ culpâ non excerni, aut ob viciatam crasin à massa sanguinea non abscedere? Ut necessitate tunc jubente ad Linguam indagandam impellamur, quæ vicarias urinæ vices subeat, annuente Medicinæ Dictatore Hippocrate, ita scribente; γλωσσα ἔρον σημαίνει: *Lingua urinam significat*: Ad quæ verba Galenus commentatur; *Lingua indicari ait, (scil. Hippocrates) quale sit ἔρον, sanè aut illud verè dictum & propriè, quod singulis die-*
bus

Problema-
tum Sect.
XXXIV. 4.
Anthropo-
graph. lib.
IV. c. 8.

lib. 6. Epid.
Sect. V.

bus excernimus, i. e. urinam, aut humorum serum. Vtraque ratio eodem redit, linguam esse indicem humorum affectus, sicut & urinas ipsas. Idem namque serum, quod cum sanguine ad renes per arterias emulgentes fertur, per arterias carotides ad caput & linguam affluit, adeoque tam hic, quam illic de materiali sanguinis constitutione testari potest; Id quod Hippocrates rursus innuere videtur in catholico illo Dogmate: Γλώσσα ὁμόχρως τῆσι προσάσει, διόπερ ταύτη γινώσκουμεν τὸς χυμοὺς, lingua prostrastibus est concolor, proptereaque ab ea humores innotescunt.

ARTICVLVS XLI.

Sed quemadmodum rectum, norma obliqui habetur, ita etiam ut certiores simus de signis ex linguæ præternaturali constitutione depromendis, prius ejusdem naturalis habitus notus esse debet, quem in primo membro ostendi: nimirum, quia lingua naturaliter justam conformationem, decentem motum, colorisque nativi suaverubentis decus retinet, ideò si in hisce mutata fuerit, morbosa præbet indicia: Vbi tamen duo observes velim: 1. idoneum linguam inspiciendi tempus esse matutinum, jejuno ventriculo, aut aliud, longius à pastu remotum. 2. Totam linguam supra & infra contemplandam esse.

ARTICVLVS XLII.

Placet igitur statim signa à Lingua conformatione lesa, & motu ejusdem abolito, imminuto, depravatoque, deducta hic inferere, quæ Hippocrates passim annotavit, & sunt sequentia: Lingua qua initis morborum rigidiuscula est, sed in colore manet, labentibus inde diebus exasperatur, livescit & fit hiulca, mortifera. Anginosi in lingua tumores citrà signa transparentes perniciosi. Lingua aspera, multumque sicca phrenetica. Lingua citrà rationem tenera evadens, & cum cibi fastidio nauseabunda, cum frigido sudore & alvo liquidâ, nigrorum vomituum signum est. Si lingua derepente impotens fiat, signum est melancholicum. Lingua tremula non nullis faciunt fluidiorem alvum & mentem alienant.

ARTICVLVS XLIII.

Succedunt signa à colore Lingua derivata: Calamitosissima est lingua nigra, & cum virore pallida; imprimis denigrata, ubi alvi fluxus simul præsens fuerit, celerem mortem significat, quod cuidam ægrotanti nuper evenisse DN. D. PRÆSES observavit: In Peri-

D

pnev-

Vid. Lud. Duret. in notis ad Coacas prænot. p. 134.

Hippocr. in Coac. prænot.

Aph. 40. Sect. VII. Lib. I. prædict.

In Coacis prænot.

I. 3. de mor-
bis.

in Coac. præ-
not.

Iohan. Clau-
berg, Theor.
Corp. Vi-
vent. 6. 37. p.
343.
Anton le
Grand, Hist.
Nat. p. 383.

I. 2. de mor-
bis.
vid. Hipp. in
Coacis.
Sect. V. aph.
lib. 2. Epid.

Sect. III.
Prognost.
Text. 37.

pneumonia lingua flava est, verum progressu temporis nigrescit, si igitur in principio nigrescat citius morbus finitur, sin posterius tar- dius. Sublivida bulla, continuo in lingua tumescens, qualis est fer- ri candentis, in oleum immissi, difficulter exsolutum iri morbum (Phrenitidem) ostendit. Peripneumoniacis, quibus lingua tota al- ba ac aspera fit, amba pulmonis partes inflammatae sunt, quibus vero dimidia, una juxta quam apparet. Quibus Pleuriticis continuo lingua bile suffusa, septimo judicantur, quibus autem die tertio aut quarto circiter novum.

ARTICVLVS XLIV.

Tandem cum lingua gustus instrumentum possideat, & vocem moderetur, aliqua adhuc signa, respectu gustus & vocis an-nectere lubet. Notum est ictero laborantes de perpetua ama-ritie conqueri, omnesq; cibos amaros arbitrari, qualem etiam in febris a bile ortis linguam occupare Hippocrates dixit. Lingua insuper saepius redditur salsa ab acrimonia feri salina, quam aliqui quotidie in semetipsis deprehendunt. Restant loquelam concer- nentia signa, quae ex Divino nostro Coac huc transtero: Aphonia cum exsolutione venientes pessima. Quae ex rigore incidunt aphonia, tremore excutiuntur. Quae in febre convulsiva sunt aphonia, si cum silentio fanatica, sunt mortifera: Qui ex dolore sunt voce ca- pti, crudeliter moriuntur; Mentis emotiones cum vocis interceptio- ne periculosa: Si quis ebrius derepente voce privetur, convulsus moritur, nisi febris ipsum corripuerit, aut ubi ad horam, qua crapula solvuntur, pervenerit, loquatur. Quicumq; ex improvise voce de- stituuntur, si sine febre fuerint, ipsis venam secato.

ARTICVLVS XLV.

Ex haectenus dictis clare elucescit, LINGVAM, ratione confor- mationis, motus, coloris, gustus item & vocis, varia significare posse, nolim tamen isthaec signa tanquam certe demonstrativa in cun-ctis morbis aestimare, aut iisdem solis omnem adhibere fidem, cum rectissime Galenus judicaverit; *μὲν ἐν εἰρημένοις σημείοις ἀκολουθεῖν διὰ παντὸς τὰ δηλούμενα τοῖς δὲ πράγμασιν ἕς ἕξ ἀσάλας σημεῖα*. Signo- rum praedictorum res ipsas omnino consecutarias esse: non autem re- rum necessario signa ipsa; & alibi monuerit: *χρὴ πάντα θεάσαθαι τὰ σημεῖα, καὶ μὴ πισύειν ἐνί. h. e. omnia perpendere oportet signa, nec uni soli fidere.*

Atque

Atque ista sunt, quæ de lingua paucis hisce pagellis concredere mihi concessum est, plura addere potuissem, si voluissem, voluissem si potuissem. *Vt enim is qui exemplar sibi proponit, emendatissimum cupit, etsi infra istud consistat: Tale hoc est. Audiamus optima, Aveamus optima, etsi imbecillitate hâc insitâ retrahamur.* Primas studiorum meorum Medicorum spicas do, eorundem messem secuturi anni promittunt: Estote intereâ Patroni, Fautores, Amici hoc Catone contenti,

Lipf. lib. 1.
manud. ad
phil. Stoic.
differt. XVI.

&
FAVETE LINGVIS,
dum

ÆTERNAS TERSANCTI NUMINIS LAVDÉS
nostra celebrabit
LINGVA!



COROLLARIA.

1. Humani corporis moles, non ut vulgò apparet duobus, sed reverà quatuor innititur fundamentis.
2. Menstruus fluxus est non-naturalis.
3. Renes ad feminis elaborationem nihil faciunt.
4. Scrupulosa ista in Venis cubiti & pedis secandis selectio, à nonnullis observata, vana est.
5. Attamen unam venam præ alterâ secare magis expedit, ob majus vel minus sectionis periculum.
6. Nul-

6. Nullus sensuum externorum absq; tactu fieri potest.

7. Ex urinâ virginitas, stuprum, graviditas, casus, ictus, ira, gaudium, tristitia, dextra vel sinistra fortuna, aliaque similia ineptientis vulgi deliramenta, certò cognosci nequeunt, etiamsi Medicus quidam Bruxellensis per quam urbis portam lotium allatum fuerit aliquando cognoverit.

8. Medicè vivere, est miserè vivere, &

9. Medicè vivere, non est miserè vivere.

10. Panaceæ non dantur.

11. Ast Diæta omnium est universalissima.

12. Malè hodiernum quidam Medici in præscribenda ægrotis diæta, adultores potiùs quàm Imperatores sunt.



Errata B. L. ita corrigat.

P. 4. l. 8. calcari. l. 14. exemplum. p. 8. l. 4. πανῆργον l. 14. τέτων. p. 9. l. 23. δίκρον. l. 36. p. 10. l. 23. cornibus. p. 12. l. 15. ἀνθρωπ. l. 17. ἦ. p. 14. l. 12. læditur. Eadem p. in mai. Borellum. l. 34. cornibus. p. 15. l. 9. cornibus. p. 16. l. 25. σῶμα. p. 17. l. 14. ἦσαν. p. 18. l. 4. f. l. 35. cornibus. p. 19. l. 30. e. p. 20. l. 32. βάπτιστον. p. 22. l. 2. ἀγκυλόγλωσσοι. p. 22. l. 2. ἐκ, ἀνα. p. 27. l. 17. fundamentis.